

AMPLISSIMIS

AC HONESTISSIMIS VIRIS,

Reipub. Norinbergensium Senatoribus

& Dominis, patribus ac Dominis

suis adprimè obseruandis.

S. D.



ENVSTE Euripides fingit Silenum atq; Chorum Sa-
tyrorum, Iouem & Astra cōtemplari. Hos uero ab hac con-
templatione ferocientem Cyclopem dehortari cum incre-
patione. Sic enim fingit Cyclopem eos alloqui:

τί φατέ: τί λέγετε: τάχα τις ὑμῶν τῶν ξυλῶ
δαίμονα μεθήσει, βλέπεται ἄνω καὶ μὴ κάτω.

Quid loquimini? Quid dicitis? Celeriter quispiā uobis fuste
Lachrimas mouebit, sursum uidetis, & non deorsum.

At Silenum Cyclopi respondentem introducit, ut citra metum fateatur suam in con-
templandis sideribus actionem. Ait enim ad Cyclopem,

Ἴδὲ πρὸς αὐτὸν τὸν Δι' ἀνακεκύφαμεν,
καὶ τ' ἄστρα, καὶ τὸν οὐρανὸν δέρομαι.

Hoc est.

Ecce ad ipsum Iouem oculos direximus,
Astraq; & Orionem inspicio.

Ita de duabus ingeniorum humanorum differentijs nos admonet Poëta, quarum alteram in Sileno, alteram in Cyclope proponit, fingit tamen neutram earum legibus, disciplinis, aut assuefactione, seu etiam humana societate institutam, sed eas tantum sequi motus à natura insitos. Fingit Silenum in seruitute detentum, quotidianis curis ac uoluptatibus deditum, nihilominus tamen quandoq; de Deo, & de rebus in natura bonis cogitare. Ac in eius persona uult ostendere esse quasdam naturas bonas, ac suæ conditionis memores, quæ licet sint impeditæ quotidianis curis atq; uoluptatibus, tamen quandoq; eas naturaliter incitari ad Dei & eius operum considerationes, atq; eas ex his bene affici, sibi res bonas in natura conditas curæ esse, fingit eas admirari res bonas, atq; amore earum capi. Harum naturarum imagines in Sileno spectandas nobis proponit.

At Cyclopem fingit Austerum & ferocem, eumq; nec de Deo, nec de rebus bonis in natura esse sollicitum, nec capi eum amore earum, nec illis affici, sed eum tantum sua curare, & ea quæ ad gulæ suæ delicias pertinent, odisse etiam eum homines, qui uel Iouem, uel alias res bonas in natura conditas amplectuntur. Fingit eum tales homines etiam uelle ad suæ naturæ impetus cogere. Ac in eius persona uult Poëta ostendere esse etiam alias naturas longe dissentientes à prioribus, quæ non modo naturaliter abhorrent à cogitationibus de Deo, & à contemplationibus operum diuinorum, sed quæ interim bonas etiam mentes, & quæ naturaliter, hoc est, sine assuefactione ad cogitationem, & ad admirationem bonarum rerum in natura feruntur, minis conantur retrahere à bonis motibus. Harum naturarum exempla in Cyclope spectanda Poëta introducit, quem fingit suis minis uelle cogere Silenum, & Satyros inter reliquas curas & uoluptates amantes Deum eiusq; opificia, ab hoc motu ad suæ naturæ monstrum, atq; ideo eum uelle eos dehortari, ut à siderum contemplationibus abstineant

« ij Vt